



GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
INDULTU
DE CONTINUANDA
RIVINORUM INDUSTRIA
IN ERUENDO PLANTARUM
CHARACTERE,
SUB PRÆSIDIО
D. JOHANNIS CHRISTOPHORI
LISCHWIZII,
BOTANICES P.P. EXTRAORDINARIИ, PHYSICI
LIPSIENSИUM ORDINARIИ ET FACULTATIS MEDICÆ
ASSESSORIS.

H. L. Q. C.

DIE XV. MARTII, ANNO MDCXXVI.

DISPUTAT
ET AD MOTA QUORUNDAM DUBIA
RESPONDET
AUTOR

JOHANNES ERNESTUS Gebenstreit,
NEOST. AD ORILAM VARISCUS,
MED. STUD. ALUMNUS ELECTORALIS.

LIPSIAE,
TYPIS CHRISTOPHORI ZUNKELI.

Vol. II. 49

ИСКЕМ ОТВЕДАНИЯ ЕГО ТАКОГО

卷之三

АДИАНИТИОО ЗД
АЯТГУСКИ МИЛДОИЦИЯ
МИЯАИЛАЯ ОСКЕДИЯН И

АДІГЕЦІЯ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ

ІЯОЛПОДЖИНО ВІНІА ПОЛ. О
ІМІШНІСКІ

PHYSICAL MEDICINE ORGANIC EXTRAORDINARY PHYSICIANS

卷之三

ALONG MAGNUSSON'S AUTOMOBILE ROAD

житије са грађанијем града

NEOSTAD. OZIEHM ANNISCUS.

卷之三

СИНЕМОСКОПИЧЕСКАЯ СИСТЕМА

V I R O

SUMME REVERENDO, EXCELLENTI, AMPLISSIMO,
PRÆNOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO

MUROUR DOMINO DUDS
JOHANNI FLORENTI
RIVINO,

CAPITULI WURCENENSIS CANONICO,
INSTITUTIONUM IN ACADEMIA LIPSIENSI
PROFESSORI PUBLICO
CELEBERRIMO,

SUPREMÆ CURIÆ PROVINCIALIS ET CONSISTORII
ADVOCATO ORDINARIO ET
JURIDICÆ LIPSIENSIVM FACULTATIS ASSESSORI
GRAVISSIMO,

CELEBERRIMÆ
RIVINORVM
FAMILIÆ
SENIORI,

PATRONO
STUDIORUMQUE SUORUM
PROMOTORI SUMMO,

PAGELLAS HAS

RIVINORUM
INCLUTO NOMINI
SACRAS

CUM OMNIGENÆ FELICITATIS

PROLIXISSIMO VOTO

ET GRATÆ MENTIS PRO ACCEPTIS BENEFICIIS

CONTESTATIONE
DAT, DICAT, DEDICAT,

A U T O R.

МИЯОНИЯ
ЕІЛМА
СЕНОРІ



Z. D.

§. I.



um Schediasma aliquod academicum meditarer, quo Patronis, quorum summis in me meritis studia hæc mea, quantum possunt, crescunt, de mea qualicunque industria constet, & cuius potissimum Thematis labor hic futurus sit, cogitarem; factum est, ut cognatam aliquam illi studiorum generi, quo cumprimis delector, materiam, id est botanicam, potissimum selerem, (de tauris enim narrat arator) maxime, quod hic una, quod ajunt, fidelia plures dealbari parietes, & gratitudinis insimul meæ, erga Beatos Rivinos, Patrem AUG. QUIR. RIVINUM & Filium JOHANNEM AUGUSTUM RIVINUM, Præceptores & Hospites meos desideratissimos, statui posse crederem argumentum. De quo dicendi genere, si quis dubitet, annon oratorii potius thematis futura sit, quæ de Summorum virorum in aliquam disciplinam meritis agit, dissertatio, sciat, hic neque de studio Rivinorum in rem herbariam peroratum, aut Vitam eorum illustratum iri, siquidem utriusque historia propediem instructissimæ Bibliothecæ Rivinianæ præfigetur, sed more problematum sese habitura, quæcunque de continuanda Rivinorum industria in eruendo plantarum charactere dicentur.

§. 2.

Equidem is ego non sum, quo svasore insignia AUG. QUIR. RIVINI Opera inventura sint summum aliquem Botanicum, cuius

A 2

Solertia

solertia ad sui completionem animum ea erigere possint, postquam felici conatu magnoque animo ab Autore institui cœpta, sub finem prioris seculi, ea facie prodierunt, quæ totius orbis literati applausum mereretur, proditura etiam omnibus partibus absoluta, nisi perpetua Patris cum morbis conflictatio & mors, & Filii, qui suffocato pene partui obstetricantem jam manum admovebat, præmaturus eheu! obitus omnia pessum dedissent. Ardua hæc sunt, sed ea tamen, quæ vel votis expeti, vel spe aliqua expectari debeant. *Quis enim affirmare* ausit, defore aliquem ex amicis Autoris & discipulis, quibus totum ferre orbem complevit, qui Rivinorum famam, suamque simul evehere, & ea luci proprius admoveare velit, quæ partui jam vicina sunt, prope diem, qua porta data fuerit, proditura?

§. 3.

Non feret, quæ studiorum incrementis invigilat, Providentia, tam egregium opus, cuius laudes aliis, quam me, præconibus constant, postquam cum innumeris fatis calamitatibusque conflictatum est, malevolorum etiam & calumniatorum conatus expertum, successu suo prorsus carere. *Quod si fieret, accideret id, quod summis semper operibus, quorum aut interitus, aut morte autorum intercepta completio, illis fatis accensenda sunt, quæ incrementum rei herbariæ semper exercuerunt.* Deploranda sunt fata, quæ Celebris O L A I R U D B E C K I I , P . , *Upsaliensis, insigne Botanices opus, undecim millibus plantarum iconibus dives, procul dubio cum E J U S D E M Campi Elysi T. I. secundum enim, sed in paucorum manibus, servatum superesse novimus, & illis, quæ sequi debebant, literatorum usui eripuerunt, si quidem egregia illa scripta cum templo cathedrali Upsaliensi igni in prædam cesserunt, referente JOH. JAC. SCHEUCHZERO, in Bibliotheca Scriptorum Hist. Nat. omnium terræ regionum inservientium.* (a) *Et inter singularia rei herbariæ fata nominat PETR. HOTTON in sermone de rei herbariæ historia & fatis,* (b) *Interitum operum quo rundam GEORGII EVERARDI RUMPHII, ex India, ubi ille degebat, transmissorum, refert enim, ea a mari absorpta reipublicæ botanicæ erepta esse, siquidem & ejus Historiam Aromatum & Plantarum exoticarum Libr. XII vana spe expectamus.* *Quis literatorum æquo*

(a) Tiguri 716. 8vo. p. 149, 150. (b) Lugd. Bat. 695. 4°. p. 38.

29* 3 *50

animo feret tot summorum operum cum Autoribus suis busto illatorum internectionem? Haberemus JOH. BANNISTERI *Historiam naturalem Virginiae*, quam meditabatur, eum in finem in Indiam profectus, de quo relatum legimus in JOH. RAJI *Præf. ad T. III. Histor. Plant.* (c), cum rupes incautius scanderet, humanis rebus exemptum esse. Haberemus ROBERTI MORISONI *Partem I. Hist. Oxon.* de qua, quid factum sit, dubitatur in *Vita Morisoni præf. Tom. III.* (d) laudatæ historiæ, qui insigni studio JACOBI BOBARTI servatus superstet. Haberemus desideratisima illa PAULI HERMANNI Scripta, quorum meminit Celeberrimus GVILIELMUS SHERARDUS in *præfat. ad Opus Hermanni posthumum, Paradisum Batavum*, quem ipsi acceptum debemus. Haberemus *Historiam naturalem Scotiæ* ROB. SIBBALDI, cuius *Prodromum in Scotia illustrata* (e) exhibit. Haberemus *Historiam Plantarum generalem*, quam *Memoires pour servir à l'histoire des plantes par Mr. DODART*, (f) promittunt. Superesset JOH. BAPTISTÆ LANTINI *de Synonymiis exercitatio* (g). Haberemus plura alia, (h) si non aut Autores, aut eorum scripta reipublicæ botanicæ invidissent fata. Credo, hic moneri doctissimos Autores, qui aliquos labores, orbi literato promissos, debent, *unus à vacâ assidus*, ne in diem differant, quæ undiquaque anxie expectantur. Prodeat aliquando, incluti SHERARDI, quem audimus ejus insigni studio in Anglia in immensum augeri, CASP. BAUHINI *Pinax Theatri Bot.* postquam id ipsum ab aliis Botanicis aliquoties tentatum fuit (i) Prodeat PAULI BOCCONE, quem in *Museo di Piante rare della Sicilia, Malta, Corsica* (k) p. 176 promittit, *Catalogus Plantarum Corsicæ*. Prodeant & alia inedita, quæ in ALMELOVEENII Bibl. promissa & latente, ad quam Accessiones edidit RUD. MART. MEHLFUHRERUS, (l) & alibi, nominantur.

A 3

§. 4.

- (c) Lond. 704. fol. (d) Oxon. 715. fol. (e) Edimb. 684. fol. (f) Parisiis 676. fol. reg. (g) Vid Rivini *Introd. in rem herbariam Lips.* 720, 12 mo. p. 12. (h) Conf. Jos. Pitt. Tournef. Inst. Rei Herb. T. I. Lugd. 719. 4to. pag 52. seqq. aliquosque. (i) Promisit continuationem Pinacis Bauhiniani Georg. Hieron. Velschius. v. Theod. Jans. ab Almelooken Bibliotheca promissa & latens Gaud. 692. 8vo. habenturque ejusd. Pinacis duo Exemplaria in Bibliotheca Rivini alterum Joh. Sigism. Elsholzii, alterum Rivini Notis MSC. aucta. (k) Venet. 697. 4to. (l) Suobaci 699. 8vo.

§. 4.

Eodem modo sese habent B. RIVINI labores, qui, postquam ejus *Introd. generalis in rem herb. cum ordine plantarum*, quæ sunt flore irregulari monopetalο Lips. 690, quæ sunt flore irregulari tetrapetalο, ib. 691, quæ sunt flore irregulari pentapetalο ib. 699. in *Fol. reg.* prodierant, sequi debebant, secuturi etiam, si non cum corporis infirmitatibus & ingrato cum primis seculo colluctandum fuisset Autori. Scimus, quid MORISONI opera, quo minus eo superstite prodirent, impeditiverit, nec RAJI consummatissimus labor eo, quo videmus, successu processisset, nisi, quod ipse fatetur, SHERARDI adjutus opera fuisset. Sciat adeoque clarissimus JOH. JAC. DILLENIUS, qui triginta annorum moram RIVINO objicit, nondum effluxisse quadraginta annos, quibus BALIHINI *Pinax* crevit, dispar quidem, ratione multitudinis tractandorum, Opus, at, si sumtus & labores intuearis, non impar, neque his in terris Autores illis stipendiis ali, quibus in Anglia, (m) neque RIVINUM triade optimorum Botanicorum, cum ea aetate esset, qua RAJUS, sed solo filio, eoque laboribus suis obruto, adjutum, ea molitum esse, quæ in *pref. ad novam & compendii in modum adornatam Introd. in rem herb.* (n) in proximum annum promiserat, Tom. nempe IV. de ordine plantarum, quæ sunt flore irregulari hexapetalο, qui etiam, mala tamen Autoris venia, in quorundam manibus est, aliquot orchidum & melianthi Iconibus locupletatus, nullo ordine, nullis etiam animadversionibus, deficientibus iis, quæ jam in promptu erant, eo tempore, quo mors filii, in medio opere occupati, turbaret circulos. Quis autem cum caelo pugnabit & fatis?

§. 5.

Quo successu instituerit B. RIVINUS plantarum suarum ordinates, quam facili & perspicua methodo vastos illos herbarum campos in compendium ita redegerit, ut in numerato haberi & ad digitum quasi exigi possint, judicabunt, si qui æqui rerum aestimatores sunt. Cum de methodo aliqua, ad constituendum plantarum ordinem, cogitatet, eam puta, quæ simplicissimum aliquem tyronibus & naturæ maxime

(m) Confer Vitam Morisoni & *pref. Tom. III.* ejus Hist. Oxon. premissam a Bobarto. (n) Lips. 720. 12mo.

ac-

accommodatum de congenerum plantarum serie conceptum exhibere, memoriae etiam quam maxime inservire, tum ad plantas hactenus cognitae in classes suas dividendas, tum ad eas, quae novae futurae sunt, ordinandas, possit; id egit, ut non tam ingenio abundaret, quam potius, constitutis regulis, naturae non datis, sed ab ea acceptis, tedium laboris ex immenso plantarum numero ortum, dissentibus allevaret, siquidem hi sunt, quibus potissimum scripsit. Incedendum adeoque erat facili, constanti & universalis methodo, qualem ea ipsa tempestate, post FABIUM COLUMNAM, ANDR. CÆSALPINUM, BAUHINOS, AMMANNUM, singulari studio adornare tentabant ROB. MORISONUS, & post cum JOH. RAJUS, in Anglia, & qui hos æmulabantur, PAUL. HERMANUS, apud Batavos, in Gallia JOS. PITTON TOURNEFORTIUS & PETRUS MAGNOLUS, Monspessulanus, quibus RIVINUS noster accessit, ut & Germanis suis aliquod lumen accenderet, cum CHR. KNAUTIO, quamvis & his inter se omnino non conveniat: cumque nec in veterum, plantas in arbores, frutices, suffrutices & herbas dividendi ratione, nec ex radicum figura, nec ex foliorum & caulis habitudine, nec ex crescendi varia ratione constantem & essentialiem plantæ characterem desumi posse arbitraretur, quamvis id ipsum tentaverint MORISONUS & RAJUS in *Historiis plantarum*, & PETRUS MAGNOLUS in *Prodromo Historiae generalis plantarum*, (o) qui ex radicum & externæ plantarum figuræ habitu promiscue cum florendi & fructificandi modo ordines suos instituunt; quod videret, hoc modo vel congeneres plantas dirimi, vel degeneres confundi, si e. g. radicum ratione velimus Iridem bulbosam & sisyringium, quoniam tuberosa non sunt, aut irides radice fibrosa, a sui similibus, cum quibus toto habitu convenient, separare, vel si myrrhidem bulbosam sive bulbocastanum & reliqua bulbosa, quoniam radice convenient, si bryoniam & rapam, quoniam, a radicum similitudine desumpta dividendi ratione, eodem pertinere videntur, in eodem ordine debeant habere tyro, sive ratione foliorum pentaphyllum & tormentilla in eodem capite esse debeant, quoniam foliis, flore autem neutiquam convenient, & ita porro; factum est, ut constantiorem sibi eligeret characterem, florem nempe & semina, illum ad summa plantarum genera constituenda, siquidem flos natura prior id postulare videbatur, hæc ad inferiora

(o) Monspelii 689. 8vo.

feriora ordinanda, non etiam excluso radicis & foliorum habitu, ad differentiam specificam indigitandam. In quo, quantum sit, quod a ROB. MORISONO, JOH. RAJO, PAULO HERMANNO, JOS. PITTONE TOURNEFORTIO, PETRO MAGNOLO, CHRIST. KNAUTIO, vel quantum hi inter se discrepent, fusius exponere, meum non est, cum sollicite hac de re egerint, qui in methodos plantarum inquisiverunt, JOH. RAJUS in *Dissert. de variis plantarum methodis* (p) JOS. PIT. TOURNEF. in epistola ad Sberardum de optima methodo instituenda in re herbaria, in qua ad Raji Diff. respondeatur. (q) I·I. DILLENIUS de methodo Rajana, Tournefortiana, Riviniana & Knautiana cum EJUS Catalogo plantarum circa Gresam (r) CHRISTIANUS KNAUTIUS in *Comp. Bot. s. methodo plantarum genuina cum Diff. prælim. de genuina plantarum methodo* (s). PETRUS MAGNOLUS in novo charactere plantarum (t).

§. 6.

Varia Autorum de nova hac RIVINI methodo plantas ex regularitate & irregularitate florum judicandi, eo tempore, quo prodiret, huc usque, fuerunt judicia, partim laudantium, partim improbantium. Prima ipsi, magna quidem, amica tamen & philosopho digna controversia fuit cum JOH. RAJO, cum enim primum ingenii sui foetum in lucem ederet B. RIVINUS, nempe *Introd. gener. in rem herb. cum Ord. plant. quæ sunt flore irreg. monop.*, non ea fuit arrogantia, ut sibi soli sufficere putarit, sed omnium literatorum, cum primis autem summi hujus viri censuræ eum subjecit, qui, quamvis sua magis placerent, non abstinuit tamen a laudibus, quas in Autorem, tum in *sylloges stirpium Europæarum extra Britannias nascentium præf.* (v) tum in *responsoria ad epistolam Rivini utraque manu spargit*. Quam amice summi huius inter se contendant, ex utriusque epistola patet. Declinat a se RIVINUS modeste confusionis & inconstanzæ tum circa promiscuam arborum cum herbis tractationem, tum circa congenerum plantarum distractionem, siquidem hæc sunt, quæ objiciuntur, suspicionem. Instat RAJUS, & quibus rationibus inductus arborem & herbam duo

sum-

(p) Lond. 690. 8vo. (q) Paris. 697. 8vo. (r) Francof. ad M. 719. 8vo.
 (s) Lips. & Hild. 718. 8vo. (t) Monsp. 720. 4to. (v) Lond. 694. 8v.

.078 .090 iii. legem. (e)

summa plantarum genera fecerit, & cur RIVINIANAM suæ posthabeat, exponit. Extat utriusque Epistola, RIVINI quidem seorsim, (u) conjunctim vero adjectæ sunt JOH. RAJI *synopsi methodicæ stirpium Britannicarum* (x). Cum hæc inter utrumque agerentur, Doctissimus GINTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERUS, Prof. Kilon. suam ad RAJUM & RIVINUM de nova plantas in classes digerendi ratione Epistolicam dissertationem (y) juris publici fecit, non, ut hos inter se conciliaret, sed, ut sua afferret, veterum, THEOPHRASTI imprimis, ordinem plantarum, arborum, fruticum, suffruticum & herbarum, defensurus. In hac contradicit partim RAJO, qui duo summa plantarum genera, arborem & herbam ita statuit, ut fruticem aut suffruticem ad alterutrum horum generum spectare affirmet, partim RIVINO, qui totam hanc divisionem a charactere plantarum constitudo excludit, quod statura & durities de essentia plantarum non sit, siquidem pro ratione aëris, loci, culturæ, vel arbores a proceritate recedant, vel plantæ arborescant. Negat autem SCHELHAMMERUS a flore & semine plantarum characterem peti debere, quod utroque sint quæ careant, exemplo ficus plantarumque capillarium & epiphyllospermon. De ficus flore intra fructum latente commentatus est præter RIVINUM jam olim VALERIUS CORDUS (z) de plantarum autem capillarium & epiphyllospermon semine, fortasse ille solus est, qui dubitet, ex loci enim, ubi plantis innascuntur, irregularitate & singulari semina moliendi modo, contra essentiam eorum nondum satis sic argumentatus est. Sicut enim, ut eadem libertate utar, vegetabilium historiam ex animali illustrandi, nihilominus ovula sunt, quæ singulare bufonum genus, Pipa & Pipal dictum, quod inter curiosiora HORTI BOSIANI asservatur, in dorso fert (aa) ita nihilominus semina sunt, quæ capillarium foliis inhærent, vel in media folii parte, ut in polypodio, phyllitide, vel juxta nervum, ut in lonchitide, vel in margine, ut in adiantho, s. ruta muraria.

B

§. 7.

(u) Lipl. 694, 4to. (x) Lond. 696, 8vo. (y) Hamb. 695. 4to. (z) Hist. de plantis L. III. C. 17. Tiguri 1561. fol. (aa) Confer Frid. Ruysch. Thesaur. Animal. primum Tab. IV. p. 40. Amstel. 710. 4to. Richard. Bradley Works of nature p. 126. T. XXII. London. 721. 4to. Meriane Metamorph. Ins. Surinam. p. 59. Tab. 59. fol. Ephem. Nat. Curios. Cent. III. & IV. p. 393. Obs. 172.

§. 7.

PAULI HERMANNI contra RIVINUM causam agit Clarissimus Vir, OLAUS RUDBECKIUS, F. *Upsaliensis*, qui, ex mente Præceptoris, contra RIVINI methodum in *Diff. de fundamentali plantarum notitia rite acquirenda* (bb) tria potissimum monet, (1) Non deberi pro antiquiori notione τε uniformis & difformis το regulare & irregularē substitui, non, quod uniformitatis & difformitatis terminus faciliorem aliquem conceptum gignat, de hoc enim nihil addit, sed, quod piaculum esse existimet, ab illis, quæ usu convaluerunt recessisse. Sed quantum sit, quod vel significandi valore, vel aetate hi pronuntiandi modi inter se differant, non appetet, cum a JOACH. JUNGIO demum flores uniformes & difformes dici cœptæ sint. Accedit, RIVINUM, si cum aliquo conveniendum fuissest, difficilem adeo non futurum, & cur RAJUM non corrigit, qui eadem libertate usus, pro noto termino τε perfecti, το πελαθεσ substituit? (2) De sceptro in regno vegetabili obtainendo, ut stylo SCHELHAMMERI loquar, inter florem & semina ambigit, &, ad mentem Præceptoris sui, ratione seminum, plantas dividit in eas, quæ sunt semine nudo, tectis capsula, & minimo, sive pulverulento. Brevis sane methodus, si undique pari successu procederet. Quam insufficiens autem sit ea, paulo post ipse agnoscere videtur, quando ad flores in generibus plantarum constitutendis, ubi semina non sufficiunt, configuit. §. enim 27, ubi de plantis, quæ sunt seminibus solidis nudis, agit, quem quidem characterem plura genera communem habent, ex floribus desumpta differentia easdem nominat, vel quæ sint floribus discoideis non radiatis, vel floribus pluribus in unum capitulum congestis, vel quæ sint floribus compositis. Idem agit §. 34, ubi de plantis tricapsularibus tractat, quas ait esse vel flore hexapetalo, vel flore ex Theca univalvi, a quibus sequenti §. distinguvit bacciferas, quasi vero e. g. Xyris, sive Spatula foetida, non sit baccifera, quamvis revera ad plantas tricapsulares pertineat, baccis nempe intra capsulas conclusis. Anne hoc est semina tantum pro charactere habuisse? ut taceam pimpinellam seminibus potius esse binis nudis, quam uno, pro more aliarum Plantarum, quæ sunt flore pentapetalo irregulari. Insigne sane in rem herbariam beneficium contulit MORISON

(bb) Aug. Vind. 691. 12mo.

z. 1. 10. 1. 1. q. VI. 3

RISON & post eum saepius laudatus HERMANNUS, qui institutis seminum ratione vel ex fructificatione Plantarum ordinibus, mirum quantum Botanicam illustriorem reddiderunt. Agnovit hoc RIVINUS, MORISONI cum primis opera adjutus, ad umbellas, ratione seminum, in suas classes redigendas. Debebant saltim summi hi Viri florem non insuper habuisse, utpote qui natura prior seminibus, postponi non debebat, siquidem & flos felicius ad plantas expediendas inservit, quam seminum doctrina, quorum vel numerum vel conditio- nem saltim, si quis intueri velit, habebit saepenumero sub eodem capite plantas toto genere diversas. e. g. Verticillatas cum Lithospermis, quibus inter se, ratione numeri quaterni seminum nudorum, convenit, cum ipso conceptu, quem plantarum natura format, differant, idem judicium esto de Umbellis, quibus, ratione seminum, cum Rubiis & cruciatis sub eodem capite standum est, bina enim Semina nuda utrinque communia sunt, cum e contra florum ratio habita similes simili- bus adjudicet, servata seminum differentia ad genera subalterna, ut Logici loqvuntur, constituenda. Quam egregie autem floribus & semi- nibus inter se conveniat, tam clarum est, ut naturae vim fieri existimem, si alterutrum seorsim tractare velimus, seminibus enim carere non possumus ad differentias genericas plantarum constituendas, ut appa- reat, in quo e. g. Verticillatae ab Aro differant, siquidem ratione floris folius eodem pertinent; eo magis, quod aliquando ex floris conditio- ne judicium ferri possit de semine, e. g. Omnes flores monopetalii ir- regulares ex verticillatarum genere semina habent quatuor nuda, sola fortasse scutellaria sive tertianaria excepta, imo nec hac quidem, semi- na enim ejus operculo exacte clausa non sunt. Quae sunt flore pen- tapetalio irregulari ex umbellarum genere, semina habent bina nuda, quamvis hoc pari undique successu non procedat. (3.) Objicit Clas- sissimus RUDBECKIUS usum Vocabulæ Pseudo, in Pseudo-Acacia & Pseu- do-fumaria &c. qua RIVINUS illa plantarum genera, quæ vel flore, vel semine, ab alio genere, sub quo hactenus steterant, differunt, sepa- rat, non ausus propria autoritate novo aliquo nomine easdem insigni- re, quod modestiæ potius, quam arrogantiæ, tribuendum est. Quo enim jure pseudo-fumariam fumariam esse pateretur, a quo seminis & capsula & numero differt, fumaria enim officinarum semine est unico

non nudo, quod OLALIS RÜDBECKIUS, sed tecto siliqua breviori, quæ tam arcte semen ambit, ut possit nudum videri. Et quale nomen in promptu est, quod huic plantæ magis conveniat? nominavit adeoque pseudo-fumariam, non quasi proprio aliquo nomine, sed eo, quod, si ita videretur Botanicis, in quodlibet aliud mutari possit, siquidem & Capnoides & Split dici solet.

§. 8.

Acrius paulo disputat Clarissimus JOH. JAC. DILLENIUS, qui egregia sua laude frui posset, dummodo noluisset obtrectare alienæ, id agens in *Examine Responsionis Rivianæ*, ut RIVINI in rem herbariam merita, in quæ alibi tela sua intenderat, denuo suspecta redderet. In quo *Examine*, quod in ejus Catalogo Plantarum sponte circa Giesam nascentium, cum appendice & supplementis ad eundem (cc) habetur; plurima erudite & DILLENIO digna, multa etiam, quod pace ejus dixerim, præcipitantius affert, cum primis, quæ de persona & meritis RIVINI acerbius dicuntur. Dum enim ejus methodum p. 19 trivialem & pene puerilem nominat, fortasse non meminit, quæ ipse RAJUS, cuius causam agit, fatetur in *responsoria ad epistolam Rivini*: Florum observationes in ejus Operibus minutæ esse, & subtile, quæ non puerum, sed attentum & oculatum postulent spectatorem, dumque vehementiori orationis genere, & bene merentem & senem p. 9. & p. 20 injuriosius habet, fortasse non cogitaverat ea, quæ passim apud Autores in ejus laudem habentur, quem VIRGILIUS FALUGIUS, Celeberrimus Italus, in *Protopopæiis botanicis* s. *Nomenclatore botanico*, ipsius nomini inscripto, (*) Botanographorum summum & cordis sui gratissimum hospitem nominat, dignatus etiam plantas Riviniana methodo distributas, metrice in aureo suo libello tradere: cuius cum honore mentionem facit CAROLUS PLUMIER in novis *Plantarum Americanarum generibus* (dd) dedicata ei planta nova, quam RIVINAM appellat, singularem tamen initurus gratiam apud Beatum, si irregularem aliquam, qualis est Arachidna, quam regularem, ipsi, utpote circa irregulares potissimum occupato, dedicare maluisset. Quem EDUARDUS LUIDIUS, Celeberrimus Anglus, in *Lithophylacii Britannici Ichnographia*

(cc) Francof. M. 1720. 8vo. (*) Flor. 697. 12mo. (dd) Paris. 703. 4to.

graphia (ee) singulari Epistola reverenter habet: quem RAJUS cathe-
dræ & Academiæ suæ ornamentum nominat, ultro professus, ejus me-
thodum eruditis & exercitatis Botanicis placere (ff). Præterea, quæ
objicit, vel ea sunt, quæ de distractione affinium & connexione dissimi-
lium, nempe quatenus radicum, aut foliorum, aut totius habitus, præter
florem aut semina, ratione, eodem pertinere, aut inter se differre vi-
dentur, jam objecta erant a RAJO & OLAO RUDBECKIO, quæ
denuo affert p. 16, vel nova & singulari studio & industria collecta.
Miratur p. 3. qualem similitudinem habeant inter se irregularia monopeta-
la, tetrapetala & pentapetala, nisi quod irregularia dicat & monopetala
ac pentapetala pronuntiet, quid inter monopetala verticillatis cum aro,
præter arum &c. Ad hæc respondeo: Naturam summorum gene-
rum esse, quod latius pateant, & sub se inferiora genera comprehen-
dant, quæ jam alia distingvendi ratione a se invicem abeunt. Ponam
mus adeoque, RIVINO Verticillatas & arum sub eodem genere esse,
sicut e. g. Homo & brutum sub eodem conceptu generico sunt, ani-
malis nempe, non tamen exinde sequitur, has plantas RIVINO sub ea-
dem classe haberi, accedit enim jam realis distinctio a fructificatione
desumpta, quæ sane arum a verticillatis satis distingvit. Sic enim ar-
gumentatur RIVINUS: quæcumque flore conveniunt, ad idem ge-
nus, summum puta, revocanda sunt; atqui arum cum verticillatis flo-
re convenit, ergo ad unum genus summum, irregularium nempe mo-
nopetalorum, revocandum est, salva distinctione, qua fit, ut arum &
verticillatae a se invicem, tanquam genera subalterna, differant. Ne-
gat quidem Cl. DILLENIUS, ari florem revera florem, sed debebat
negationis suæ fundamentum addere, quod non facit, contentus, RI-
VINO, MARCELLO MALPIGHIO, imo etiam RAJO suo contra-
dixisse, qui ari florem Tom. III. Hist. Gen. Plantar. pro monopetalo,
adeoque pro flore habet. Eadem pagina ex regula RIVINI Ord.
Plant. Fl. Irreg. Tetrap. p. 7. & Introd. p. 25, quod, quæcumque flore & fru-
ctu convenient, genere etiam convenire debeant, pro se ita argumenta-
tur: Ergo sambucus & ebulus ad idem genus, nempe arboreum, per-
tinent, & ergo non erravit DILLENIUS, qui ebulum plantam cum

B 3

sam-

(ee) Lond. 699. 8vo. & Lips. eod. 8vo. (ff) in Responsoria ad Episto-
lam Rivini.

sambuco arbore confudisse dicitur. Quasi vero RIVINO arbor & herba summum genus constituerent. Vera hæc est regula, & juxta eandem omnino sambucus & ebulus ad unam classem, regularium nempe monopetalorum, pertinent, quamvis etiam inter se different ratione durationis & staturæ, satis enim demonstravit RIVINUS, arborem & herbam summa genera esse non posse. Quæ p. 5. de notis irregularitatis affert, si ad polemonium applicentur, vera sunt, nam hanc plantam nemio pro irregulari habeat, si ad verbascum, veronicas & gerania, non item, avropsia contradicente, quorumcunque enim geraniorum petala aut segmenta inter se æqualia sunt, ita ut de eorum regularitate dubitari non possit, illa gerania non sunt, sed gruinales, rotstro utcunque breviori. Idem Judicium esto de geranio Robertiano, cuius veram Iconem in RIVINI ordine plantarum, quæ sunt flore irreg. pentap. desiderat, expectamus adeoque accuratiorem ea, quæ ibidem habetur. Mirum autem hanc solam plantam desiderari, cum longe plures, in supplemento addendæ, supersint. Quæ p. 6 in RIVINO taxantur, ut Irregularium numerum augeret, dubias plantas eodem traxisse, industriæ potius ac perspicaciæ, quam irregularium inopiae, tribuenda sunt. Regulares enim dici non possunt, de quarum regularitate vel levissimum dubium moveri potest; sicut in Logicis generalitas Theseos unica vel levissima etiam instantia infringitur. Nec obstat, quod de monopetalis sibi sermonem tantum esse afferat RIVINUS, siquidem hæc potissimum sunt, de quarum irregularitate quam maxime dubitari potest, prout in valeriana, echoide flore albo, chamaenerio palustri, de reliquis non æque; Neque litem de irregularitate umbelliferarum flore albo, de qua Cl. DILLENIUS dubitat, quicquam magis componet, quam avropsia, sufficit, eum irregularitatem agnoscere in umbellis flore luteolo, quæ eodem capite etiam a MORISONO cum reliquis umbellis tractantur. Neque etiam unquam RIVINUS ex sola stylis & staminum irregularitate de floribus irregularibus pronuntiat, sed eandem saltem in subsidium vocat, quando de irregularitate floris dubitari potest, ut adeo flosculi florum, qui sunt ex regularibus tantum compositi, maneant regulares, quoniam tales apparent, quocunque etiam modo stylus sese habeat, & blattaria cum verbasco erunt irregularares, ex habitu floris, qui tornatilis stylo JUNGII

non

non est, ut ejus margo circulo exacte circumscribi possit, eo magis, quod & stylus irregulariter procedat. Committit ergo DILLENIUS fallaciam compositionis & divisionis, siquidem ex flore & stylo simul, si de irregularibus dubium sit, nunquam ex stylo tantum de irregularitate floris judicium ferri debet. p. 9. negat perianthii tum etiam floris irregularitatem in mentha, pulegio, cum primis autem in lycopo, cuius judicium sit penes oculatos inspectores, ut taceam, cum hoc modo congeneres verticillatarum plantas, cum quibus quaternus seminum nudorum numerus lycopo communis est, dirimat, illud vitium committi, quod paulo ante taxabat in RIVINO. Sed hoc passim facit, & quædam dicit, quæ non satis probat. Ejus enim sententia, stamina illa rubicunda, quæ super embryones juglandis hyeme apparent, flores non sunt, cur? quia a frigore non laeduntur, atqui & hellebori, aconiti hyemalis, helleborastri flores, viscum etiam, quod frigidissima illa tempestate, quæ nuper animalia & plantas non parum vexavit, cum flore fructuque inveni, non minus constanter frigora ferunt, cum cætero nemo de floribus dubitet. Ejus opinione chrysosplenium tetrapetalum non est, quamvis hactenus contra regulam RIVINI, quinque flores fructum in medio fovent, in tot dividuntur petala, quot lacivias habent, etiamsi tales non decidant, nihil afferat. Eodem modo pyrolam folio arbuti aliasque, flore pentapetalo irregulari esse negat, quod tamen in vulgari concedit, interim tamen omnes generico nomine pyrolas nuncupat. Unde sic argumentor: aut pyrolæ sunt, adeoque sicut capsula seminali, ita & florendi modo convenire debent, aut non sunt, cur autem pyrolas nuncupat? siquidem flos irregularis pentapetalos illis non competit. Idem de reliquis esto judicium. Singularem de cætero apud pictores sculptoresque Lipsienses gratiam iniisse sciat, quod egregio eos elogio ornare, eorumque industriam commendare non designatus fuerit. Evidem non nescimus, quanta sint, quæ in Catalogo Plantarum circa Giesam in rei herbariæ emolumentum præstiterunt, quam dives etiam memorabilium rerum copia ejus historia futura sit; optamus saltim, ut & in posterum sua ad illustrandam Botanicam conferre perget.

§. 9.

Nec inclutus KNAUTIUS cum Cel. RIVINO omnia communia habet,

bet, præter enim quod fatum idem expertus sit Cl. DILLENIO displicendi & ex florum conditione, eodem modo, quo RIVINUS, summa genera, ex fructificatione autem inferiora instituat, siquidem terminis saltim differre videtur, cum, quæ RIVINUS regulares, irregulares, simplices, compositos, vel ex regularibus tantum, vel ex irregularibus tantum, vel ex regularibus & irregularibus simul, appellat, hæ ipsi sunt uniformes, difformes, simplices, aggregati, vel ex uniformibus tantum, vel ex difformibus tantum, vel ex uniformibus & difformibus simul: In hoc quam maxime discedit, *vel a RIVINO tantum*, quod aggregatos flores cum compositis confundat, de prioribus enim recte judicat in *dissertatione præliminari p. II.* eorum naturam esse, flores habere collectos non in flore simplici, sed perianthio, adeoque huc pertinebit. e.g. *Flos corni*, qui flosculos plures laxe inter se cohærentes in eodem communi perianthio habet; nihilominus postmodum eos omnes flores, qui RIVINO compositi sunt, sub titulo aggregatorum habet, imo in quibusdam aliis, *valeriana* enim, *locusta*, *blattaria*, *verbascum*, uniformes ipsi sunt, *uæ RIVINO* difformes, *vel a RIVINO aliisque simul*, siquidem cum nullo Botanicorum convenit, quod semina nulla habeat nuda, adeoque ex vasculis seminalibus inferiora genera ordinat, quod, quomodo processerit, videatur, tum in *ipsius genuina plantarum methodo*, tum in *DILLENII de methodis labore*, ubi *KNAUTIANÆ*, ut solet, mentionem fecit.

§. 10.

JOS. PITT. TOURNEFORTIUS cum RIVINO amice satis conspirat, uterque enim ex flore plantarum genera ordinant, uterque Petalorum numerum inuenit, in hoc inter se discrepantes, quod hic ratione regularitatis & irregularitatis & pro conditione florum, an simplices, an compositi sint, herbas judicet, ille tantum ex floris figura sive structura externa. Cujus quidem methodi post RIVINIANAM magna hic Lipsiæ autoritas est, ut certum sit, nullum aut esse aut fore plantarum genus, quod non ad aliquam classem ex alterutro spectet, ita ut difficile non sit, etiam minus cognitas plantas ex methodo vel RIVINIANA vel TOURNEFORTIANA perspectas habere, dummodo constet, quid sit regulare, irregulare, simplex & compositum RIVINI, quid

quid sit flos campaniformis, infundibuliformis, rosaceus &c. ex TOURNEFORTIO. e.g. Si quis videat florem arboris folio oblongo serrato, qui totus decidat, quinque in margine lacinis donatus, sequente fructu aspero & rubro, carnosō, quinque capsulari, quique structuram extēnam infundibuli habeat, nonne, habita ratione floris, fructificationis, denique etiam foliorum habitus, apparebit vel ex RIVINI, vel ex TOURNEFORTII methodo, Arbutum esse, quae jam in Celeberrimo Horto CASPARIS BOSII, SENATORIS LIPSIENSIS, floret fructusque molitur? quamvis KNAUTIUS hunc florem urceolaris figuræ nominet. Qui plura de TOURNEFORTII methodo cupit, conferat, præter Autores supra §. 5. recensitos, ipsius etiam doctissima scripta *Institutiones rei herbariae*, *Elementa de la Botanique* (gg) & reliqua, quibus adde, qui egregie in hunc autorem commentati sunt, Julii Pontederæ, Pisani, *Compend. Tabb. Bot.* (hh) ejusdem *Dissert. Botanicas* (ii) & *Anthologiam* (kk) & SEBASTIANI VAILLANT, *Botanicum Parisiense* (ll) & *de Structura florum sermonem* (mm).

§. II.

Quod ad reliquas Celeberrimi SHERARDI, VOLKAMERI, NIS-
SOLII, aliorumque methodos attinet, & quam proxime aut longe a
RIVINIANA absint, hac paginarum angustia dicere nihil attinet, ma-
xime quod alibi, in primis apud KNAUTIUM, quædam de iisdem ha-
beantur. Laudari meretur PETRUS MAGNOLLUS, Monspessulanus,
cujus jam ante *Botanicum Monspeliense* (nn) & *Prodromus Hist. gener.
plant.* (oo) innotuit, & cuius cum laude mentio fit in *præf. ad T. III.
Hist. Oxon. MORIS.* & in *Introd. RIVINI p. 4*, qui nova ingressus via
singularem aliquem plantarum ordinem instruxit in *novo charactere
plantarum* (pp) habita non floris, sed calicis cum Perianthio & Peri-
carpio ratione, quod, quomodo processerit, ex oculari libri inspectione
judicare hactenus non licuit. Dubium non est, elegantem fore hanc
methodum, quantum quidem ex illis augurari licet, quæ in *Novellis li-
terariis Mensis Julii Av. 1725, p. 518* habentur, dummodo, quod confidi-

C. mus,

(gg) Part. I. II. III. Par. 1694. 8vo. (hh) Patav. 718. 4to. (ii) ibid. 710. 4to.

(kk) ibid. 720. 4to.

(ll) Lugd. Bat. 723. 4to.

(mm) ibid. 718. 4to.

(nn) Monsp. 686. 8vo.

(oo) ib. 689. 8vo.

(pp) Monsp. 720. 4to.

mus, illis dubiis obviam itum sit, quæ primo hujus methodi intuitu nasci poterant. Quorsum relatus sit Autor Plantas, quæ sicut flore, ita & perianthio & calice carent, quorsum plantas capillares & epiphyllospheras, quorsum plantas, quæ flore quidem gaudent, perianthio autem carent, exemplo hellebori, ranunculi hiemalis, five aconiti, fortasse etiam chelidonii, cujus perianthium hactenus videre non licuit, & quantum sit, quod nova illa methodus cum priori plantas in familias digerendi ratione, quam in *Prodromo Historiae Plantarum* exhibet, vel conveniat, vel ab ea discrepet?

§. 12.

Interim ea audacia non sum, qui in tanto Summorum Virorum disfido, certi aliquid affirmare & ad causam RIVINI agendam suffragium meum interponere, aut omni exceptione majora ea esse, quæ attulit, pronuntiare velim. Contradicere in hoc Beato Praeceptor, qui ea fuit modestia, ut, se ea correcturum, quæ secus, quam hactenus observaverat, se habitura sint, non semel in scriptis, ut erat veritatis amans, professus sit, quod & sedulo fecit, correxit enim quædam, de pluribus autem nihil certi definivit. Ita enim flos asari ipsi tripetalos non est, postquam observavit monopetalum esse, tribus laciniis profundis divisum, quamvis capsula sexpartita diversum suadere videatur. Habebuntur in *Supplemento* flores irregulares tripetalii, polygalas puta, de quibus olim dubitaverat, correxissetque fortasse plura, si viveret. De aliis nihil pronuntiavit: an acetosella flore luteo, quæ florem habet monopetalum, quinque laciniis divisum, toto genere fortasse non differat ab acetosella flore albo, quæ manifeste florem habet pentapetalum? an statice ad capitatas pertineat, siquidem perianthium commune squamosum id suadere videtur, an vero ad pentapetalos irregulares, siquidem petalum quoddam longius in margine reliqua multum eminet? an lauri flos monopetalos? an asperuginis flos irregularis? an portulacæ monopetalos, an resedæ & luteolæ flos irregularis, quod in reseda clarum est, & quædam alia. Quod mirum esse nemini potest, nam & RAJUS de se ultro fatetur, suam methodum sibi non undique placere, quæ quidem inconstans a RIVINO longissime abest, hoc saltim certum, superesse multa, quæ etiam præter supplementa hactenus a Filio Beato adornata, addi

in

in continuatione possint, imo nec dum etiam undique fortasse abso-
luta erunt. Siquidem pene affirmaverim, vix futuram esse aliquam
plantarum historiam, sive universalem, sive partialem, qualis est
RIVINI, id est irregularium tantum, in qua nihil omnino desit. Au-
diamus RAJUM in *Præf. ad T. III. Historiæ suæ*: Longissime tamen
abest, ut existimem, posse vel a me, vel ab alio historiam universa-
lem condi, cum ne dimidiā quidem partem plantarum toto terra-
rum ambitu nascentium ab Europæis observatam fuisse existimem.

§. 13.

Equidem animus RIVINO nunquam fuit, vastos illos regula-
rium ordines eodem modo, quo irregulares, pertractare, ad hoc nec
viribus, nec sumptibus, imo, ut RAJI termino utar, vix censu
prætorio, suffecturis, de illis enim, quæ sunt flore composito, aut
imperfecto, aut nullo, promisit quædam in *Præfat. ad Introduc.*
in rem herbariam. Tentarunt tamen jam alii quomodo ejus me-
thodus, etiam in doctrina regularium, compositorum, imperfecto-
rum, & quæ sunt flore nullo, procedat, Celeberrimus JOH. HENR.
HEUCHERUS Archiater Regius, qui *novos horti Vitebergensis Pro-*
ventus (qq) methodo Præceptoris adornare non dubitavit, servata ta-
men dissentendi libertate, quod facit, e. g. dum belladonnam re-
gularem pronuntiat, quæ RIVINO irregularis postmodum visa est,
quamvis hactenus inter irregulares operis sui non habeatur, habenda
in *Supplementis*, superior enim lacinia duabus vicinis major est,
HENR. BERNH. RUPPIUS in *Flora Jenensi*, (rr) JOH. CASP. GE-
MEINHARD in *Catalogo Plantarum circa Laubam*, (ss) JOH. CHRI-
STIAN BUΞBAUΜ in *Enumeratione Plant.* (tt) ABR. REH-
FELD in *Hodeg. Botan. menstr.* (uu). Ex quibus judicium ferri po-
test de reliquis plantarum ordinibus, quos nihilominus una cum ir-
regularibus tractare instituerat RIVINUS peculiariter *Tyrocinium*
Botanicum dicto.

§. 14.

Postquam enim irregularium ordines instruxisset, ut verbis
CAROLI PLUMIER utar, nec summis laboribus nec propriis sum-

C 2

pti-

(qq) Viteb. 711.713.4to. (rr) Frcf. & Lipf. 718. 8vo. (ss) Budist. 724.
8vo. (tt) Halæ 721, 8vo. (uu) Halæ 717, 8vo.

ptibus parcens, ut difficultates, ex confusione plantarum oriundas, declinaret, quod sciret fructum laboris sui ob operis pretiositatem ad quam paucissimos pervenire, statuit in compendium redigere tum ea, quæ in majori opere habentur, tum ea, quæ alioquin executurus non erat, i.e. regulares, operique *Tyrcinii Botanici* nomen dare, in quo singulari instituto habiturus erat lector omnium herbarum simplicium & compositorum, & quæ sunt flore, vel stamineo, vel nullo, icones quoad flores & semina eorumque capsulas, expressis in eadem Tabula pluribus plantarum iconibus, in hoc imitatus Celeberrimum TOURNEFORTIUM, qui florum suarum icones simili instruxit modo. Excrevit hoc laudatissimum opus in folio ad plures tabulas magna industria & accuratione exsculptas, quod, quanti ingenii quantique emolumenti futurum erat, quis non videt? sed, ut erat magni animi, sicut Alexander plures mundos, plures disciplinas simul complectentis, ita, cum astronomicis piis etiam meditationibus, & quæ reliquam etiam historiam concernerent, distraheretur, de quo testantur ejus scripta: **Das Alter der Welt und unsers Heylandes Jesu Christi, L. 722.** 4to. It. **Historia Jesu Christi, ib. eod. 4to.** & cum primis, quæ inedita adhuc latent, *Astronomia Reformata*, & *præclarum de Terris Medicinalibus* opus, itemque *Bibliotheca Botanica*, Celeberrimorum autorum iconibus & vitis locupletata, factum est ut botanicos labores posthaberet, Filio etiam campum aliquem, quem cum laude decurere posset, relicturus, qui strenue aggressus opus, *supplementa & de irregularibus hexapetalis Tomum magnopere auxit, quod, quomodo successerit, videre, Botanicis non grave futurum, confido.*

§. 15.

Quæ adeoque ad tres Tomos operis Riviniani accesserunt, aut accedere debebant, aut icones sunt tabulis suis jam insculptæ, aut saltim pictæ. Quæ in tabulis æneis habentur, aut in tabularum illarum, quæ priores tomos constituunt, vacuis spatiis adsculptæ sunt, ut adeo, si recudendum sit antiquum opus, tabulas non quidem numero, sed Iconum multitudine locupletatas habiturus sit Lector, aut seorsim, tum ad Tom. IV. de Hexap. irreg. tum ad *supplementa* singulis tabulis extant. Quæ operis prioris Tabulis adsculptæ sunt, hoc modo sece haben:

Ad

- Ad Irreg. Monop. accessit in Tab.*
- 1 Valeriana Orientalis, foliis sisymbrii flore exiguo
 - 2 Locusta minor
 - 3 Echioides calice amplio
 - 4 Iva Moschata flore albo
 - 5 Polium montanum majus minus
 - 6 Betonica Orientalis major
 - 7 Brunella minor
 - 8 Horminum flore variegato
 - 9 Rosmarinum angustifolium folio picto
 - 10 Serpillum montanum hirsutum
 - 11 Acinos hirsuta
 - 12 Calamentha Sabaudica folio ocymi
 - 13 Nepeta flore Lavendulae minor minima
 - 14 Galeopsis Orientalis
 - 15 Hedera terrestris minor
 - 16 Cedronella Orientalis folio brevi minima
 - 17 Scutellaria humilis flore magno
 - 18 folio Chamaedryos
 - 19 Pedicularis minor
 - 20 Veronica procumbens Orientalis
 - 21 montana
 - 22 minima repens
 - 23 Beccabunga minor angustifolia
 - 24 Cardinalis minor
 - 25 Aristolochia Bætica
- Ad Irregularia pentapetala Tabula 121 accessit*
- Viola flore cœruleo longifolia
- Quæ sunt flore irregulari hexapetala secundum Iconum seriem hoc modo incedunt:*
- 1 Calceolus
 - 2 Helleborine barba rubra
 - 3 Helleborine Broccebergensis
 - 4 { Helleborine montana foliis acutis, flore ex viridi & cœruleo rufescente
 - 5 Helleborine alba barba luteola
 - 6 Helleborine flore carneo Damasonium flore alb.
 - 7 Damasonium flore roseo flore mixto
 - 8 Ophrys Nidus
 - 9 Satyrium flore luteolo flore albo
 - 10 Palmata non maculata maculatis foliis
 - 11 Palmata angustifolia barba integra sylvestris macul.
 - 12 Palmata palustris latifolia spica foliosa maculata spica foliosa
 - 13 Orchis pratensis varii coloris referens Vespam fucum
 - 14 Orchis flore conglobato purpureo spiralis
 - 15 Orchis Mascula Militaris
 - 16 Orchis major
 - 17 minor
 - 18 minima
 - 19 Orchis barba quadripartita longiore punctata
 - 20 flore parvo viridi purpureo
- Or-
C 3

- 19 *Orchis foliis gladioli flore magno roseo*
 20 *Orchis barbata, Hirci odore, sive fœtida*
 21 *Orchis Muscam referens angustifolia*
 22 *Melianthus minor*
Ad hanc classem spectant Plantæ flore hexapetalo irregulari, quæ pīctæ saltim asservantur:
 1 *Helleborine Orientalis*
 2 *Epidendron Curasavicum*
 3 *Viscum radice bulbosa minus, Delphini flore rubro specioso*
 4 *Viscum Delphinii flore minus, petalis ex viridi albicantibus, radice fibrosa*
 5 *Viscum Delphinii flore albo guttato minus radice fibrosa*
 6 *Ansjeli maravára*
 7 *Biți maram maravára*
 8 *Ponnampu maravára*
 9 *Thalia maravára*
 10 *Mou Tsierou maravára*
 11 *Anantaly maravára*
 12 *Palmata montana flore luteolo, barba admodum ferrata*
 13 *Palmata flore Ophryos*
 14 *Ανθρωπός Φορθ. mæs*
 15 *fœmina*
 16 *Palmata Virilis Testis imaginem referens*
 17 *Satyrium mentulatum, sive Testiculus Morionis*
 18 *Orchis serapias, sive Arachnites, flore simili araneis*
 19 *Satyrium castratum, sive Eunuchum*
 20 *Orchis cum aviculis*
 21 *Orchis Lusitanica Cercopithecum exprimens*
 22 *Orchis apem referens, lusitanica.*
 23 *Muscam majorem cœruleam referens*
 24 *Orchis scarabæum referens Myodes lutea lusitanica*
 25 *Orchis flore luteo fœtida minor fucum referens, foliis superioribus purpurascientibus.*
Quæ ad supplementa spectant, irregularia cum primis sunt monopetala, æri jam incisa, atque ita incedunt in Tab.
 1 *Valeriana marina angustifolia Lusitanica annua*
 2 *Valerianella Africana flore albo semine stellato vesicario*
 3 *galeata Africana galeata perennis*
 4 *Echium flore rubro foliis verrucosis carneo minore*
 5 *Buglossoides cretica flore minore*
 6 *Teucrium Bœticum flore cœruleo*
 7 *orientale augustifolium laciniatum flore subcœruleo.*
 8 *Teucrium frutescens stœchadis Arabicae foliis*
 9 *Teucrium regium flore rubro*
 10 *Leonurus Americanus latifolius minor angustif.*
 11 *Lamium creticum perenne*
 12 *Lycopus folio laciniato*
 13 *Pyrenaica*
 14 *Stachys Orient. folio hormini*
 15 *Stachys oretica bituminosa*
 16 *Stachys montana flore parvo*
 17 *Verbasifolia canariensis*

- 19 *Betonica* fol. angustis flore albo
 20 amplis flore roseo
 21 *Brunella* foliis laciniatis
 22 *Tubularia* chalepensis
 23 *Horminum* folio Salviæ
 24 *Canariense* folio hastato
 25 *Tingitanum* flore albo
 26 *Creticum* flore ex albo
 rubente
 27 *Horminum* flore carneo
 28 *Æthiopicum* flore albo
 barba luteola
 29 *Horminum Syriacum* flore luteolo fo-
 liis laciniatis
 30 *Horminum* flore variegato humile
 31 *Tragoriganum creticum*
 32 *Satureja virginiana perennis*
 33 *Melissa inodora Romana*
 34 *Calamentha* flore magno
 35 *Mentha verticillata crispa*
 36 *Africana spicat.* pal. augustif.
 tenuifolia
 37 *Nepetha lusitanica* rad. tuberosa
 re albo
 folio obtuso flore purpurco
 38 *Nepetha Afr. spica longiore*
 39 *Nepetha Hispanica*
 40 *procumbens* flore albo allii
 odore
 41 *Nepetha Canadensis* flore luteolo vel
 rubente
 42 *Verbena tenuifolia Hispanica*
 Nodiflora
 43 *Americana altissima* flore
 purpureo
 44 *Dictamnus creticus*
 45 *Sphacelus folio salviæ*
 46 *Italicus*
 47 *folio Hyssopi*
 48 *Galeopsis pannonica* flore rubro
- 49 *Galeopsis Oriental.* fol. parietarix
 50 Molucca fœtens
 51 *Marrubiastrum folio Cardiacæ*
 52 *flore parvo*
 53 *Ballote*
 54 *Marrubium rotundifolium*
 55 *Sideritis romana hirsuta*
 56 *Salvia cretica Baccifera*
 pomifera foliis crispis
 57 *foliis crispis rotundioribus*
 flore magno
 58 *Hispanica tenuifolia*
 59 *Oriental.* calice amplio
 foliis alatis
 60 *Salvia Africana*
 folio glauco
 61 *quinque foliata*
 62 *Phlomis Monspeliensis*
 63 *Cedronella orientalis* flore magno
 flore minore
 64 *Cedronella lusitanica*
 65 *flore minore*
 66 *Pseudo dictamnus sicus*
 67 *Scutellaria folio Teucrii*
 68 *Pingvicula*
 69 *Melampyrum mont. angustif. minus*
 70 *Antirrhinum angustif.*
 calice longissimo
 71 *Elatine foliis angulosis*
 72 *Asarina Linaria trifoliata*
 73 *Elephas Italica*
 Oriental. flore magno
 74 *Acanthus mollis*
 angustifolius
 75 *Ecbolium minus*
 76 *Veronica folio brevirigido*
 flore albo
 angustifol.

77 Becca-

- 77 Beccabunga foliis mucronatis
 78 Gelseminum quadrifolium
 79 Blattaria cretica flore luteo
 flore albo
 80 Blattaria fol. laciniato
 fol. bugulae
 81 Verbascum
 82 Verbascum flore luteo
 flore albo
 83 flore Borraginis
 84 foliis viridioribus
 85 Hyoscyamus aureus
 86 Digitalis Canariensis
 87 Digitalis flore luteo
 88 Virginiana
 89 minor
 90 Scrophularia hirsuta
 91 fl. magno, folio Samb.
- 92 Scrophularia caule al. to
 93 folio angusto minor
 94 cretica
 95 Cardinalis flore cœruleo
 96 Chamærhododendron
 97 Rhamnus Monspel. flore cœruleo
 purpureo
 98 Periclimenum foliis pictis & sinuosis,
 flore minore
 99 Arum palustre minus foliis digitatis
 100 Arisarum
Quibus accedere debebant illæ plantæ,
quæ pictæ & singulari industria undi-
que collectæ apud Hæredes Rivinorum
asservantur, tum ad Monopetala, tum
ad Tetrapetala & Pentapetala ir-
regularia spectantes.

§. 16.

Quis dubitat, insigni hoc rerum apparatu laborem alicujus, in-
dustriam RIVINI continuaturi, quam maxime allevatum iri, imo pe-
ne affirmaverim, nihil deesse his omnibus instructo ad completionem
operum Rivinianorum feliciter tentandam, cumprimis, si ea acce-
dant, quæ de Characteribus florum vel a Patre vel a Filio annotata,
in utriusque manuscriptis habentur. Si tamen quædam defuerint, fe-
licius aliunde suppleri vix poterunt, quam ex insigni Plantarum tum
vivarum tum exsiccatarum apparatu, qui Hortum Bosianum majorem,
cujus rem herbariam cum Viro Clarissimo M. CASPARE BOSIO, ob-
servatore perquam industrio, pro exiguo virium mearum modulo cu-
ro, ornat, tum ad majora opera supplenda, tum cumprimis ad Tyro-
cinium Botanicum continuandum, quod sane majoris laboris res est.
Imo confido, cum B. RIVINUS id humanitatis officium pluribus egre-
giorum operum Autoribus exhibuerit, ut suâ operâ aliquid levaminis
haberent, qui eorum labores posthumos luci admovere studuerunt,
quod cumprimis a BOBARTO in Præf. ad Tom. III. Hist. MORISO-
NI deprædicatur, fore ut simile officii genus rependatur a summis hu-
jus

jas seculi Botanicis, illi, qui eam ipsam famam acquirere velit, quam
Celeberrimus BOBARTUS in MORISONO suo, Celeberrimus SHER-
ARDUS in HERMANNO suo meruerunt. Dabunt veniam, si ipsos in-
ter eos, qui hoc opus cumprimis juvare poterunt, nominavero, Summi
Viri, JOH. HENR. HEUCHERUS & CHR. HENR. ERNDTE-
LIUS, REGIUS UTERQUE ARCHIATER, SUMMUS UTERQUE
BOTANICUS, ILLE novis Proventibus Horti Vitebergensis, (xx) HIC
Itinere Anglico & Batavo, (yy) & Epistola de CHRISTIANI MEN-
ZELII Flora Japanica in Regia Bibliotheca Berolini asservata (zz) ce-
lebres. Nec incluti Viri, SHERARDUS, cuius animum transmissis
quibusdam ex Anglia Plantis rarioribus Hortus Bosianus perspectum ha-
bet, & JOH. JAC. SCHEUCHZERUS, cuius animum operamque
expertus est RIVINUS, cum Tractatum de Terris conderet, hic Hel-
vetiae, ille Angliae suæ lumen, graviter ferent, si de eorum benevolen-
tia minus dubitavero. Nec reliqua mundi Lumina, quæ per Britan-
niam, Germaniam, Galliam, Siciliam, Italiam, Belgium, Historiam
plantarum illustrant, suam hic operam denegaturos, res literaria confidit,
cuja cumprimis interest, ut ea, quæ æterna vita digna sunt, præsenti
morti eripiantur, quod, si quid unquam, ardentibus votis expeti
debet.

(xx) W.711 & 713, 4to. (yy) Amst. 711, 8vo. (zz) Drd. 716, 4to.



Præses S. P. Dissertationis Autori.



Quemadmodum præsente Dissertatione ad solitam plantarum tractationem abunde prodis indolem egregiam, ita animum ad studia plane natum toto hactenus studiorum tuorum penso, non sine laude probasti, ut unum cum feceris, alterum non omiseris. Unde anceps hæreo, an cognitionem in botanicis, aut an magis tuos profectus in reliquis Medicinæ partibus, theoreticis æque ac practicis singulares publice testari ac commendare debeam? Unicum saltem obicem Tibi ponit angusta domi res curtaque suppellex, quam, det Deus! ut Summorum Patronorum allevet munificentia, quo studiorum stadium ex Voto possis tandem percurrere.

Conspectus Paragraphorum.

- §. 1. Dissertationis occasio.
- §. 2. An continuatio industriæ Rivini sperari debeat.
- §. 3. Operum quorundam Botanicorum interitus & neglecta completio.
- §. 4. Quid Rivinum impediverit, quo minus ejus opera eo superstite prodirent.
- §. 5. De methodo Rivini.
- §. 6. Objectiones Raji.
- §. 7. Olai Rudbeckii objectiones.
- §. 8. Dillenii examen Resp. Rivinianæ.
- §. 9. Knautiana methodus a Riviniana quomodo differat.
- §. 10. De Tournefortii methodo.
- §. 11. Petri Magnoli nova methodus.
- §. 12. Plantæ, quæ dubiæ sunt Rivino.
- §. 13. Autores, qui Rivini methodo plantas tractarunt.
- §. 14. Tyrocinium Botanicum Rivini.
- §. 15. Quid ad Tom. IV. de Irreg. hexap. & ad supplementa industria Filii accesserit.
- §. 16. Quid continuationem ulterius juvare possit.

Corollaria.

1. Anima Embryonis in utero materno sibi ipsi sedem domiciliumque parat, impeditur autem interdum impressione phantastica animæ maternæ.
2. Morbos occultarum qualitatum nominasse, Medico indignum est.
3. Signa a juvantibus & nocentibus desumere Empiricorum est.
4. Venæ sedio nec in principio febrium malignarum convenit.
5. Liquor Pericardii ex auriculis Cordis exsudat.
6. Plantæ, quæ duplicis generis flores in eadem umbella habent, si Botanicis ita videretur, novum genus constituere possent, plantarum nempe, quæ sunt flore mixto, vel ex regularibus tetrapetalis ac Pentapetalis, in Ruta, cūjus flos medijs semper observatur pentapetalos, capsula etiam quinquepartita, cum reliqui sint tetrapetali regulares, vel ex irregularibus & regularibus simul, pentapetalis quidem in Sphondylio, Coriandro, Cynapi, monopetalis autem in opulo.
7. Summa necessitas esset legaliter inspiciendi cadavera mulierum in partu defunctorum ut appareat causa clavis, imprimis si temerarium obstetricum genus, uti nunc solent, ignara manu cultros hamosque adhibeant, & demum Medicum, si mors in olla est, advocant nimis sero, saltim ut delictorum culpam a se devolvere possint.



